

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae XIII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

timor est expectatio valde, et quamprimum. in vno Sigonii, diem tu morare expecto, et quamprimum: in altero eiusdem, timor est expecto valde et quamprimum. In nullo quidem vidi, timori esse.

Perinde ERN. Proinde] Pro, perinde: quod saepe Terentius et Lucretius vsurparunt.

*Dolere] Meas, tuas autem vl-
cisci solere.*

*Vlcisci] Mirus enim contra Clo-
dianos Milonis defensor in tribu-
nato fuerat: quod significat Cice-
ro lib. 2. epist. 9. Te, inquit, mi
Rufe, diligo, quem mihi fortuna
dedit amplificatorem dignitatis
meae, vltorem non modo inimico-
rum, sed etiam inuidorum meo-
rum.*

EPISTOLAE XIII.

ARGVMENTVM.

*Gratulatur affinitate Dolabellae, qui Tulliam, Ciceronis filiam,
uxorem duxerat: de Curionis tribuni plebis intercessione, de prouin-
ciis quid actum sit, exponit: Hortensii oratoris interitum significat.*

EXPLANATIO.

*Viri mediis fidiis optimi] Dola-
bellae, a quo uxorem discessit-
se, scripsit epist. 6. is postea cum
Tullia diuortium fecit: quod et ex
epistolis ad Atticum, et ex consolato-
ria Sulpicii lib. 4. cognoscitur.*

*Sibi parum utilis] Temeritatis
Dolabellam arguit, quod Appium
accusasset. id ex ea, qua Cicero re-
spondit, epistola licet intelligere.*

*Pudore Tulliae] Cicero respon-
dit his verbis lib. 2. epist. 15. Do-
labellam a te gaudeo primum lau-
dari, deinde etiam amari. Nam
ea, quae speras Tulliae meae pru-
dentia temperari posse, scio, cui
epistolae tuae respondeant.*

Lautum] Pulchrum, egregium.

*Intercessionis] Curio intercesse-
rat, ne senatus consultum fieret de
successione prouinciarum. de ea
intercessione consules ad senatum
retulerunt, vt decerneretur, quid
agendum, contemnendane interces-*

*sio, an eius habenda ratio more
maiorum. Censuit senatus inter-
cessionem parendum.*

*Exitum] Quia valuit interces-
sio, contra quam M. Marcellus sen-
ferat.*

*Ex senatus consulto] Eo, quod
misit Coelius cum epist. 8. in quo
ita scriptum est: Si quis huic S. C.
intercesserit, senatui placere, au-
thoritatem perscribi, et de ea re
ad senatum populumque referri.*

*Primaque] Cur prima? fortasse
studio et opera C. Marcelli consu-
lis, eius patruelis.*

*M. Marcelli] Qui consul fuerat
anno proximo.*

*Agendum cum tribunis plebis]
Vt intercessio tolleretur.*

*In alia omnia iit] Frequens a
Marcello dissensit. probauit igitur
Curionis intercessionem. atque hoc
reprehendit Cicero his verbis lib. 7.
ad Attic. epist. 7. Senatam bonum
putas,*

putas, per quem sine imperio provinciae sunt? numquam enim Curio iustiniisset, si cum eo agi coeptum esset. quam sententiam senatus sequi noluit. de hoc genere loquendi vide, quae diximus lib. I. epist. 2.

Stomacho est scilicet Pompeius Magnus] Dixi olim, scilicet Pompeius, mihi videri esse glossema ad verbum Magnus: nec aliter nunc videtur.

Ita languenti] Pompeii hoc erat ingenium, ut voluntatem suam occultaret. stomachi vitium transtulit Coelius ad animum Pompeii nihil in republica probantis, quippe qui neque Caesarem in Gallia diutius manere vellet, nec suam tamen voluntatem satis auderet ostendere: quandoquidem, ipso auctore, in secundo ac tertio consulatu, duae leges latae fuerant, una de Galliarum imperio in alterum quinquennium prorogando; altera, ut in petitione consulatus absentis Caesaris ratio haberetur.

Transferant illuc] Id probauerant.

Vt ratio esset eius habenda] Hoc totum ita legitur in antiquis libris: *Vt ratione eius habenda, qui exercitum, neque provincias traderet.* quod ita mendosum est, ut omnis mihi quidem ad correctionem aditus intercludatur. relinquo non inuitus, quod alii quaerant. sententia quidem haec videtur esse: *Transferant senatores in alia omnia, id est, probauerant Curionis intercessionem, improbantes M. Marcelli sententiam; tamquam ratione illius habenda, qui neque exercitum, neque provincias traderet.* Hoc, ut dixi, arbitror significari. sed ad-

dere verbum, neque, contra veteres libros non audeo: nisi si, ut est omnino asper durusque Coelii sermo, scriptum ab eo putemus, *qui exercitum, neque provincias traderet; pro, qui neque exercitum, neque provincias traderet: ut, neque, tam ad exercitum, quam ad provincias referatur.* Venit etiam in mentem, hoc dumtaxat a Coelio scriptum, *transferant illuc, ut ratione eius habenda.* glossam autem esse id, quod sequitur, additam ab interpretante pronomen illud, *eius*: cum hoc pronomine Coelius Caesarem significare solitus sit: dixit enim epist. 8. *Perpecta Cn. Pompeii voluntate in eam partem, ut cum decedere post Kalendas Martias placeret: cum Caesarem significet, minime tamen antea nominatum.*

Laturus sit, cum cognoscat] Vnus Sigonii liber, et meus, *laturus est isse, cum cognoscam:* alter eiusdem, *laturus, cum isse cognoscam:* itaque subesse vitium suspicor.

Futurum] Video, quid dicatur: sed ex ingenio emendatum existimo: nam veteres omnes libri, *futurus, habent:* quod videtur ad Pompeium referri.

Si aut non curet] Sic antiqui libri. mutilus locus est, aut certe deprauatus.

Vos senes diuites] Quorum interest maxime, rempublicam in suo statu permanere.

Animam agebat] In exitu vitae crebro spiritus ducitur, et reducit. id veteres, *agere animam,* dicebant. Tusc. I. c. 9. *Et agere animam, et efflare dicimus.* Plautus in Trin.